Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37192
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



sive sacrificium. sive aliud divinum officium. et cum su-
ma karitate debet offerri. Et si ille qui offendit non
habet tantum discrecionis vel karitatis quod reconciliet deo. et
mihi. ego mea humilitate debeo ipsum ad karitatem in-
flammare. et me sibi et se mihi reconciliare. In Na-
talicijs sanctorum quomodo vigilie agantur.
Plana est continuacio. Egit de diebus privatis. egit
de diebus dominicis. qualiter debeant vigilie agi. Sed
quia proveniunt diversa sanctorum festa determinavit
de illis qualiter sit agendum. Capitulum xiiii.

In sanctorum vero festivitatibus vel
omnibus sollempnitatibus. sicut diximus
dominico die agendum ita agatur excep-
to quod psalmus. aut antyphona vel lectiones
ad ipsum diem pertinentes dicantur.
modus autem supradictus teneatur.

In sanctorum etc. Attende quod dicit festivitatibus et non dicit
omnibus. et quod dicit sollempnitatibus et addit omnibus. ut intel-
ligas. quia non de omnibus sanctis qui occurrunt pertinet
sollempnitas celebrari. alioquin numquam de feria ageretur.
Quod ergo dicit In sanctorum vero festivitatibus. supple quorundam.
de quibus statutum est fieri duodecim lectiones. Quod vero
dicit omnibus sollempnitatibus. agit de illis que sollem-
pniter celebrantur. et que preteriri non debent. sicut est beate
virginis. Stephani. Johannis ewangeliste et Baptiste duodecim.